

Letter 191: 14 April 1524, Basel, Conradus Pellicanus to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki. Ar. 25a, #67.

S[alutem]. Optimi consulo, amicissime mi Capito, quicquid, ut soles, omnia libero candore rescripseris. Interim tu quoque simplicitatem meam non damnas. Ego si omnibus inimicis meis et evangelii osoribus et plane impiis ut apparet gratificari cuperem quam maxime, cucullam reiicerem. Id enim plurimi eciam primum meorum maximopere cuperent et sincere mihi ob
5 veritatem affectis dolorem inferrem. Interim quidem perfectis iudicio vero tibi que similibus acquiescerem, sed quibus possum alia via satisfacere ut sint contenti si animi mei ut puto innocenciam hac parte persuasero. Cupio prodesse modis omnibus proximis et evangelii profectui quantum Deo placet adesse.

10 Audio te voluisse mihi scripsisse quedam de domino Io. Bock, optarem ut optima. Scripsi eidem sincere semel vel bis, respondit nihil. Christianum eius pectus novi, sin minus, arbitror eum ut prudentem timere preproperae innovationi tam insigni. Quam ego ut avidissime audio promoventem nobiscum ut qui perfectos plurimos Dei verbo paraveritis. Sic non alia causa vereor periculum negocio quam ex parte nimium Lutheranzantium qui ut obiter placuerit
15 invertere cuncta moliuntur. Hinc enim vehementer timeo. Aliud audio sed non credo et a malignis disseminari credo de preconibus evangelii, nobiscum nullo tamen mihi nominato, qui operibus et exemplo ac quotidianis studiis, eciam verbis publice prolatis, contra mansuetudinem et humilitatem agant et libidini multiphariam [sic] obnoxios eos traducunt. Et hii quidem qui se evangelii predicandi zelum habere fatentur qui nuper e Franckfordia ascendentes nescio quibus moribus scandalizati audiuntur. Scio quanta comminiscantur papiste passim, sed nollem aliquid
20 vero[?] dici de tam egregiis servis Dei quales credo Argentine a Deo traditos.

Coniugem te ambire cum aliis audio. Non damno si sit necessitas iuxta Dei indultum. Mallem tamen libere nos omnes totos instare profectibus ecclesiae, maxime eos qui possunt ut tu et tui similes, ne perperam iudicetur ab infirmis qui carnalia iudicant facile in partem peiorem. Non dum distincte audivi sed generaliter lamentantur scandalum poni verbo Dei in moribus quod
25 pure proponitur, et quod publice se omnia ex Spiritu Sancto loqui et docere fateantur et iactent. Modestiam in exhortando nos Christus docuit. Hec amico sincere revelo cupiens omnia in gloriam Dei et animarum fructum finiri. Vale. Ex Basilea. 5^{ta} post misericordiam Domini 1524. Tria tamen verba volebam scribere.

Tuus Con[radius] Pellicanus amicus.

30